95

1

(a) *Omnes passiones capitis à stomacho oriuntur.*

Corporis Arx caput est, præclarus sensibus hospes,
Omnibus his stomachus Ianitor vnus adest.
Ferrea non illi, gestatur nervea clavis,
Hâc capit ad cerebrum passio tristis iter.
Hâc intrat somnus, morbus simul intrat eâdem,
Nil intrat, cui non claviger addit opem.
Multa iecur promit, depromit multa lienis,
Viribus at stomachus congregat omne suis;
Præstanti sensu fumos citus attrahit omnes,
Attractos brachiis excitat, arce locat,
Non secus ac tenues cœlis dat terra vapores,
Afficiunt vario qui loca celsa motu.
In caput à stomacho patet omnis pervia porta,
Inuia nam non est, devia nulla via.
Ventris ab ore venit quicquid pertingit ad arcem,
Quod caput obfuscat, ventris ab ore venit:
Excipit vt Polypus varios à rupe colores,
Sic caput affectus, quos movet illud, alit.
Dat capiti stomachus, stomacho caput omnia dona,
Sic solet alterno munere quodque frui.

Ergo bene Hippocrates canit, Aesculapius alter,
A stomacho capiti passio quæque venit.

(b) *Facultas non indicat remedium.*

Aeger es? & miseris agitantur febribus artus?
Horrida Mercurii te citò virga premet?
Nil vitalis habet, quo te tueare, facultas,
Nil, quo te redimas, illa vigoris habet.
Contracto morbo nescit vis nata mederi,
His Phæbea malis ars medicamen habet.
Hæc causas primas, languoris semina quærit,
Quærit, & inventis (nec mora) præbet opem.
Vis innata malum demonstrat, causa medelam,
Illud naturæ est, hoc gravis artis opus.
Tempora spectantur cum sit medicina paranda,
Spectatur morbi causa, genusque mali:
Hæc natura suis non dat cognoscere natis,
Ars hæc scire facit; sic beat illa suos.
Sic beat illa suos, vt quondam Theses virgo
Candida cui Phæbi filia mater erat:
Pro filis causas dedit, his penetralia morbi,
His fugimus fauces, bellua sæva, tuas.
Respuit auxilium, non respicit ista facultas,
Quam natura suis indidit, illa silet.

Ergò habet hæc inter sua laurea dicta Galenus,
Auxilium ingenita non benè constat ope.